Brakman, Cornelius
Miscella.
Vol.3.

MISCELLA TERTIA.

MISCELLA TERTIA.

MISCELLA TERTIA

[Vol. 3]

SCRIPSIT

C. BRAKMAN J.F.

LUGDUNI-BATAVORUM
IN AEDIBUS E. J. BRILLII
MCMXVII.

EX OFFICINA ET TYPOGRAPHICA ET BIBLIOPOLIO QUAE ANTEHAC E. J. BRILLII FUERUNT.

Illa tamen moderatius subiciam, coniecturalem artem esse medicinam, rationemque coniecturae talem esse, ut, cum saepius aliquando responderit, interdum tamen fallat.
Cels. II 6, 16.

PRAEFATIO.

Haec Miscella continent praecipue coniecturas et locos parallelos ad Senecam (philosophum et tragicum), Apuleium, Firmicum Maternum, Plautum, Ciceronem, Celsum, Pomponium Melam, Martialem, Boethium. Hoc autem ordine quae nova inveneram collocare malui, quia de tribus prioribus auctoribus iampridem multa scripsi, de ceteris pauca tantummodo aut nihil. Spero fore ut observationes meae imprimis ad Senecae dialogos usui sint ei, qui huius operis novam editionem, quae valde desideratur, curaturus est.

C. Brakman J.F.

Dabam Hagae Comitis m. Junio 1917.

CAPUT I.

Annaeana.

Ad Senecae dialogos.

Ad ea quae interlocutor obiecit (I de prov. 6, 6) „at multa incidunt tristia, horrenda, dura toleratu", Seneca deum inducit respondentem sic

I 6, 7 ante omnia cavi, ne quid vos teneret invitos; patet exitus; si pugnare non vultis, licet fugere. ideo ex omnibus rebus quas esse vobis necessarias volui nihil feci facilius quam mori. prono animam loco posui: *trahitur*; adtendite modo et videbitis quam brevis ad libertatem et quam expedita ducat via.

Expleo ⟨*sine vi*⟩ *trahitur*, nam ut Seneca scribit infra § 9 non in alto latet spiritus nec utique ferro eruendus est — hic quoque docet sine ullo negotio vel sine ulla fere virium contentione vitam finiri posse. Post *posui* duae illae voces *sine vi* facillime omitti potuerunt. Cf. etiam Dial. VII (de vita beata) 15, 5 illo ergo summum bonum escendat, unde *nulla vi detrahitur* e. q. s.

II (de constant. sap.) 13, 4 habes sub te Parthos et Medos et Bactrianos, sed quos metu contines, sed propter quos remittere arcum tibi non contigit, sed hostes *teterrimos*, sed venales, sed novum aucupantes dominium.

Cum codex Ambrosianus exhibeat *hostes posttrimos*, dubitari vix potest quin vera lectio sit: *hostes postremos*; cf. Cic. pro Sex. Roscio Amerino § 137 sin autem id actum est et idcirco arma sumpta sunt, ut homines *postremi* pecuniis alienis locupletarentur et in fortunas unius cuiusque impetum facerent e. q. s., ad quem locum Landgraf in Commentario (pag. 252)

multa exempla congessit. Praeterea comparari possunt Apul. Apol. 98 (Helm 108, 23) cum adulescentulis *postremissumis* [1]) inter scorta et pocula puer hoc aevi convivium agitat; Front. ad Verum Imp. II 1 (Nab. 119, 16) vel tu me neglegito, vel etiam spernito: nihil denique honoris inpertito, in *postremis*, si videbitur, habeto. Minuc. Fel. 14, 1 *postremus* philosophorum. C. Gracch. apud Gell. XV 12, 2 Biennium fui in provincia; si ulla meretrix domum introivit aut cuiusquam servulus propter me sollicitatus est, omnium nationum *postremissimum* nequissimumque existimatote.

III (de ira I) 1, 6 taurorum cornua iactantur in vacuum et harena pulsu pedum spargitur e. q. s.

Haec scribenti Senecae obversati sunt versus Vergiliani (Aen. XII 104)

> atque irasci in cornua temptat (sc. taurus)
> arboris obnixus trunco ventosque lacessit
> ictibus aut sparsa ad pugnam proludit harena.

III (de ira I) 16, 6 nam si bono viro ob mala facinora irasci convenit, et ob secundas res malorum hominum invidere conveniet. quid enim est indignius quam florere ⟨*improbos*⟩ quosdam et eos indulgentia fortunae abuti, quibus nulla potest satis mala inveniri fortuna?

Nonne praestat edere: quid enim est indignius quam ⟨*nequam*⟩ florere quosdam e. q. s. Adiectivum a me insertum usurpat Seneca Dial. II (de const.) 13, 4 *nequam* mancipia, quod redit V (de ira III) 19, 2; de benef. IV 16, 2 *nequam* hominem existimas, cui poena, non cui curatore opus sit cet.

V (de ira III) 8, 2 sumuntur a conversantibus mores et ut quaedam in contactos corporis vitia transiliunt, ita animus mala sua proxumis tradit: ebriosus convictores in amorem meri traxit, inpudicorum coetus fortem quoque et *siliceat* virum emolliit, avaritia in proximos virus suum transtulit.

Genuinam lectionem fuisse: *fortem quoque et severum virum*,

---

1) Eodem superlativo utitur Tertull. de cult. fem. II 1 *postremissimus* equidem..... audeo (cf. Hoppe de serm. Tertull. pag. 50).

non modo ob eam rem credo, quod sententia flagitatur, sed etiam quod ita facillime mendum explicari potest. Nam videtur primum per haplographiam e *severum virum* ortum esse *se virum*, deinde *se* abiisse in *sc*, id est *scilicet*. Hoc vocabulum quam facile potuerit corrumpi in *si liceat*, scripturam servatam in cod. A et L, nemo non perspicit.

VI (ad Marc.) 11, 1 tota flebilis vita est: urgebunt nova incommoda, priusquam veteribus satis feceris..... mortalis nata es, mortales peperisti: putre ipsa fluidumque corpus et *causis morbos* repetita sperasti tam inbecilla materia solida et aeterna gestasse?

Causis morbos est in A, sed verisimillimum est *s* ultimam litteram vocis *morbos* corruptam esse ex notissimo illo signo, quod repraesentat *rum*, veram igitur scripturam fuisse *causis morborum*, quam Gertz iam recepit. Equidem puto *causis* idem fere significare atque *morbis* [1]), cf. Liv. XXII 8, 3 pars non id, quod acciderat, per se aestimare, sed, ut in adfecto corpore quamvis levis *causa* magis quam in valido gravior sentiretur e. q. s.; Cels. Prohoem. § 16 (Marx pag. 19) eum vero recte curaturum (sc. credunt), quem prima origo *causae* non fefellerit cet. [2])

Itaque *causis morborum* pro genetivo inhaerentiae sive synonymo habendus est, de quo fusius alibi [3]) disputavi. Huius genetivi haec exempla apud Senecam inveniuntur Nat. Quaest. IV^{a} 2, 5 *scopulos cautium* verberavit; Med. 736 his gelida pigri *frigoris glacies* inest.

VI (ad Marc.) 11, 2 decessit filius tuus, id est, decucurrit ad hunc finem, ad quem quae feliciora partu tuo putas properant. hoc (= huc) omnis ista quae in foro litigat, ⟨spectat⟩ in theatris, in templis precatur turba dispari gradu vadit: et quae diligis, veneraris et quae despicis unus exaequabit cinis. *hoc videlicet illa* Pythicis oraculis adscripta: nosce te. quid est homo? quolibet quassu vas et quolibet fragile iactatu e. q. s.

---

1) Cf. Roensch Ital. u. Vulg. pag. 306, qui tamen hoc exemplum afferens errat scribendo: *causis morbisque*.

2) Cf. quae dixi ad Cels. III 2, 5.

3) Cf. Arnobian. cap. II init.

Ipsius auctoris manum restituere posse mihi videor reponendo: ⟨*hic*⟩ *voce uti licet* illa..... nosce te.

VI 18, 1 puta nascenti me tibi venire in consilium: „intraturus es urbem dis, hominibus communem, omnia complexam, certis legibus aeternisque devinctam, indefatigata caelestium officia volventem. § 2 videbis illic innumerabiles stellas micare, videbis uno sidere omnia inplere solem, cotidiano cursu diei noctisque spatia signantem, annuo aestates hiemesque *aequalius quidem* dividentem.

Aequalius quidem Gertzio praeeunte Hermes edidit, sed *quidem* ab hoc loco alienum est. Cum autem in Ambrosiano exaratum sit *equaliusque*, sinceram lectionem lenissima medicina adhibita recuperabis scribendo: aestates hiemesque aequalius ⟨*us*⟩que dividentem.

VI (ad Marc.) 19, 3 quid igitur te, Marcia, movet? utrum quod filius tuus decessit, an quod non diu vixit? si quod decessit, semper debuisti dolere; semper enim scisti *moriturum.* § 4 cogita nullis defunctum malis adfici, illa, quae nobis inferos faciunt terribiles, fabulas esse e. q. s.

Moriturum est codicum deteriorum lectio, at Ambrosianus praebet *mori.* Pone tamen ne oratio hiet: scisti mori⟨*turum. verum*⟩ cogita nullis defunctum malis adfici e. q. s.

VI (ad Marc.) 23, 5 Fabianus ait, id quod nostri quoque parentes videre, puerum Romae fuisse statura *ingentis viri ante*; sed hic cito decessit, et moriturum brevi nemo non prudens dixit: non poterat enim ad illam aetatem pervenire, quam praeceperat.

Confido me omnibus probare posse lectionem: puerum..... fuisse statura *ingenti viro ante*⟨*stante*⟩; sed hic e. q. s.

Excursus de VI (ad Marc.) 25.[1])

Proinde non est quod ad sepulcrum fili tui curras: pessima eius et ipsi molestissima istic iacent, ossa cineresque, non

1) Hic totum caput quinque locis emendatione egens imprimendum curavi.

magis illius partes quam vestes aliaque tegimenta corporum. integer ille nihilque in terris relinquens sui fugit et totus excessit; paulumque supra nos commoratus, dum expurgatur et inhaerentia vitia situmque omnem mortalis aevi excutit, deinde ad excelsa sublatus inter felices currit animas. excepit illum coetus sacer, Scipiones Catonesque, interque contemptores vitae et beneficio ⟨*liberae mortis*⟩ liberos parens tuus, Marcia. § 2 ille nepotem suum — quamquam illic omnibus omne cognatum est — adplicat sibi nova luce gaudentem et vicinorum siderum meatus docet, nec ex coniectura sed omnium ex vero peritus in arcana naturae libens ducit; utque ignotarum urbium monstrator hospiti gratus est, ita sciscitanti caelestium causas domesticus interpres. et in profunda terrarum permittere ⟨*placet*⟩ aciem; iuvat enim ex alto relicta respicere. § 3 sic itaque te, Marcia, gere, tanquam sub oculis patris filique posita, non illorum, quos noveras, sed tanto excelsiorum et in summo locatorum. erubesce quicquam humile aut volgare ⟨*agere*⟩ et mutatos in melius tuos flere! aeternarum rerum per libera et vasta spatia dimissi ⟨*si qui sunt*⟩, non illos interfusa maria discludunt nec altitudo montium aut inviae valles aut incertarum vada Syrtium: *omnia pervolant* et ex facili mobiles et expediti et in vicem pervii sunt intermixtique sideribus.

Nunc lectiones meas defendam.

§ 1 beneficio ⟨*liberae mortis*⟩ liberos. Ipse Seneca scribit huius dialogi cap. 20, 3: caram te vita, *beneficio mortis* [1]) habeo. Hic autem necessaria est notio mortis ultro inlatae, quoniam Cato Uticensis et Cremutius Cordus sua voluntate mortem sibi consciverunt. Iam vero rursus philosophus noster, quod quaerimus offert, eiusmodi mortem celebrans in tragoedia Agamemn. 589

Heu quam dulce malum mortalibus additum
vitae dirus amor, cum pateat malis
effugium et miseros *libera mors* vocet
portus aeterna placidus quiete.

In promptu autem est oculos librarii a *liberae* aberrasse ad *liberos*.

---

1) Cf. Dial. VII (de vita beata) 5, 1 *beneficio* rationis. At apud Livium legimus XXIII 4, 1 Hoc modo Pacuvius cum obnoxium *vitae beneficio* senatum multo sibi magis quam plebi fecisset, sine armis..... dominabatur.

§ 2 et in profunda terrarum permittere ⟨*placet*⟩ aciem, iuvat enim ex alto relicta respicere.

In editione Teubneriana legitur: permittere aciem *iubet*, sed sponte aspectus descendit in terras; accedit ut tum potius auctor posuisset *permitti*. Exemplum denique graecum, quo in tractanda hac re Seneca usus est, habebat, nisi omnia me fallunt, δοκεῖ, id est, videtur, placet (iis). *Permittere placet* efficiunt allitterationem sicut *caelestium causas* et *relicta respicere*. Haec omnia de industria quaesita esse declarant etiam optimae clausulae: relícta rèspícere; summó locàtórum; meliús tuòs flére; intermixtíque sìdéribus.

§ 3 erubesce quicquam humile aut volgare ⟨*agere*⟩ e. q. s. Hic requiritur non *cogitare*, quod Hermes inseruit, sed *agere*, ut manifesto ostendit initium huius paragraphi: sic itaque te, Marcia, *gere* e. q. s.

dimissi ⟨*si qui sunt*⟩, non illos..... discludunt. Post *dimissi* facile *si sunt* intercidere potuerunt, sed *illos* flagitat pronomen, ad quod referatur, quocirca scripsi: dimissi ⟨*si qui sunt*⟩ ὅσοι ἀφειμένοι εἰσίν. Venimus ad:

Omnium plana et ex facili mobiles et expediti et in vicem pervii sunt intermixtique sideribus. (Haec sunt in A).

Huius capitis maxima difficultas nimirum in multos gravesque errores librarium induxit, ultimum vero mendum prope insanabile est [1]). At nil desperandum!

Plana corruptum esse ex tertia persona praes. indic. verbi alicuius non sine probabilitate ex *sunt* colligas. Horum verborum utriusque subiectum debent esse beatae illae animae, quae secundum Stoicorum rationem constant ex πνεύματι vel spiritu, sicut ipse deus. Quae cum ita sint Manilius canens Astron. II 64

cum spiritus unus
per cunctas habitet partes atque irriget orbem
omnia pervolitans

nobis viam emendandi monstrat: verisimile est Senecam posuisse: *omnia pervolant* et ex facili mobiles cet. i. e. zij vliegen door alles heen met lichte vaart, door niets belemmerd in hun be-

---

1) E. Badstübner Beitr. z. Erklär. u. krit. der phil. Schr. Senecas (Hamburg 1901) pag. 8 soweit wir den auszerordentlich entstellten Worten trauen dürfen.

wegingen en op haar beurt laat hun natuur toe, dat andere lichamen er door heen gaan en vereenigen zij zich met de sterren.

Confitendum est me non multum recessisse a codicum scriptura, nam *omnia* exhibent F et deteriores, ex *pervolant* vero sive potius *puolant* oriri certe *plana* potuit.

Non difficiie est investigare e quo fonte Seneca disciplinam illam hauserit, qua Marciam consolaretur [1]). Quae Seneca scribit § 1 commoratus dum expurgatur et inhaerentia vitia situmque omnem mortalis aevi excutit e. q. s. in universum consentiunt cum iis quae Anchises de poena purgatoria filio suo exposuit apud Vergil. Aen. VI 736 sqq. Περιήγησις autem illa, in qua Metilius ab avo caelestia discit, nos admonet Scipionis Africani maioris nepotem docentis cum alia tum motu siderum varios aequabiliter concentus effectos (Cic. de rep. § 18). Quin etiam ipsa verba aliquatenus congruunt:

Senec. VI (ad Marc.) 25, 1	Cic. de rep. VI § 16
excepit illum coetus sacer.	ea vita via est in caelum et hunc coetum eorum qui iam vixerunt.
§ 2 et in profunda terrarum permittere ⟨placet⟩ aciem.	§ 19 haec ego admirans referebam tamen oculos ad terram identidem. cf. § 17.
§ 2 siderum meatus docet.	(Vergil. Aen. 6, 849 caelique meatus describent radio). Manil. Astr. II 143 sacros... meatus.

Ceterum quae Seneca depingit singula, summatim refert Manilius Astr. IV 886

an dubium est habitare deum sub pectore nostro
in caelumque redire animas caeloque venire? [2])

Quibus in rebus Posidonium illum constat inter omnes auctorem fuisse Ciceronis [3]) Vergilii [4]) Manilii: sequitur ut ab eodem

1) Cf. Badstübner l.l. pag. 2 sqq.

2) Badstübner l.l. pag. 4 Dielsium sequens comparat Manil. Astr. I 758. Addere possis Firm. Matern. Mathes. VIII 1, 5.

3) P. Corssen De Posidonio Rhodio Cic. in lib. I Tuscul. et in somnio Scipionis auctore.

4) Norden Aeneis Buch VI pag. 21 sqq.

summo philosopho, cuius Protrepticus [1]) terminabatur apocalypsi, Seneca quoque mutuatus sit quae hic de vita post mortem tradit [2]).

Sextum autem dialogum ante exilium auctoris scriptum esse valde verisimile est. Quod ut paucis probam affero cap. 9 § 4 quis umquam nostrum de *exilio*, de egestate, de luctu cogitare ausus est? Non sic loquitur, qui ipse exul est. An audet ille dicere 20, 2 haec (sc. mors) servitutem invito domino remittit; haec captivorum catenas levat; haec e carcere educit quos exire imperium inpotens vetuerat: haec *exulibus* in patriam semper animum oculosque tendentibus ostendit nihil interesse, infra quos quis iaceat. Verum Seneca prorsus non exul enumeravit haec mala, quibus Metilius affici potuisset, nisi acerba morte extinctus esset 22, 3 adice incendia, ruinas, naufragia lacerationesque medicorum..... post haec *exilium* (non fuit innocentior filius tuus quam Rutilius). Accedit quod exul in Corsica (41—49) parum forti animo et constanti se gessit, quippe qui Polybium, Claudii libertum ipsumque imperatorem adularetur. Recte igitur Gercke [3]) observat: von dem kleinmüthigen Bittsteller hätte Marcia die Ermahnungen zur Standhaftigkeit nicht mehr entgegennehmen können. Quae omnia monent ut credamus anno fere 40 hanc consolationem esse compositam. Illo autem tempore Seneca agens fere 43 annos nondum versatus in philosophia circumspexit unde hauriret finem Consolationis ad Marciam secundum scholae praeceptum [4]). Haud facile reperiri poterat Posidonii Protreptico fontem altiorem nobilioremque.

---

1) Norden l.l. pag. 23.

2) Meminimus quantum philosopho Apameensi debeat Seneca cf. Diels, Doxogr. Graec. pag. 225 Posidonianae disciplinae constat Senecae Natur. Quaest. refertas esse; Gerhäusser (Protrept. des Poseid. Heidelb. Diss. 1912) ostendit Epist. 88, 90, 92 partim certe ex Protreptico fluxisse; Reitzenstein (Poimandr. pag. 6, 7 (ann. 1), 253—256 contendit VI (ad Marc.) 18 et 19, Geffcken (Herm. 49 pag. 335) cap. 26 originem Posidonianam prae se ferre.

3) Seneca-Studien (Fleckeisen Jahrb. Suppl. 22) 1896, pag. 284.

4) Cf. Menander Περὶ παραμυθητικοῦ (Spengel Rhet. Gr. III, pag. 414) ἐρεῖς δὲ μετὰ ταῦτα..... εἶτα ὅτι πείθομαι τὸν μεταστάντα τὸ ἠλύσιον πεδίον οἰκεῖν, ὅπου Ῥαδάμανθυς, ὅπου Μενέλεως, ὅπου παῖς ὁ Πηλέως καὶ Θέτιδος, ὅπου Μέμνων· καὶ τάχα που μᾶλλον μετὰ τῶν θεῶν διαιτᾶται νῦν, περιπολεῖ τὸν αἰθέρα καὶ ἐπισκοπεῖ τὰ τῇδε· .... οὕτω καὶ τὴν Ἑλένην, οὕτω καὶ τοὺς Διοσκούρους καὶ τὸν Ἡρακλέα λέγουσιν συμπολιτεύεσθαι μετὰ τῶν θεῶν· ὑμνῶμεν οὖν αὐτὸν ὡς ἥρωα, μᾶλλον δὲ ὡς θεὸν αὐτὸν μακαρίσωμεν.

VII (de vita beata) 3, 4 intellegis, etiam si non adiciam, sequi perpetuam tranquillitatem, libertatem depulsis iis, quae aut irritant nos aut territant; nam voluptatibus et *pro⟨rsus⟩* illis, quae parva ac fragilia sunt et ipsis fastidiis obnoxia [1]), ingens gaudium subit, inconcussum et aequale, tum pax et concordia animi et magnitudo cum mansuetudine; omnis enim ex infirmitate feritas est.

Cum Seneca in praecedentibus ait omnibus omnino voluptatibus aliisque rebus, quae sunt inanes, plane succedere gaudium constans verumque, dummodo convenienter naturae vivatur atque animi perturbationes domentur, adverbium *prorsus* revocavi. In codice exaratum est *pro*.

VII (de vita beata) 13, 4 quisquis ad virtutem accessit, dedit generosae indolis specimen, qui voluptatem sequitur, videtur enervls, fractus, degenerans *viro*, perventurus in turpia nisi aliquis distinxerit illi voluptates, ut sciat, quae ex eis intra naturale desiderium desistant, quae praeceps ferantur infinitaeque sint et, quo magis implentur, eo magis inexplebiles.

Interpungendum et scribendum censeo: fractus, degenerans, *ultro* perventurus in turpia e. q. s.

VII (de vita beata) 17, 2 quare cultius rus tibi est quam naturalis usus desiderat? cur non ad praescriptum tuum cenas? cur tibi nitidior supellex est? cur aput te vinum aetate tua vetustius bibitur? cur *auruum* disponitur?

Senecae integra verba videntur fuisse: cur *auro* ⟨*lacunar*⟩ disponitur? Similitudine autem litterarum vocum *cur*, *auro*, *lacunar*, librarius lapsus est. Eiusmodi domorum luxus non semel commemoratur e. g. Epist. 90, 9 lacunaria auro gravia; ibid. § 42 caelata laquearia; Epist. 114, 9 ut tecta varientur auro, ut lacunaribus pavimentorum respondeat nitor; Nat. Quaest. I Praef. 8 lacunaria ebore fulgentia cet.; ubique nimirum philosopho obversatum est Horatianum illud (Carm. II 18, 1).

non ebur neque aureum
mea renidet in domo lacunar [2]).

---

1) Ambrosianus exhibet: *flagitiis noxia*, quae correxit Stangl.

2) Cf. Arnob. VI 3 (Reiff. 216, 17) *laquearibus* renideant (sc. templa) aureis.

VII (de vita beata) 25, 4 hoc tibi ille Socrates dicet: „fac me victorem universarum gentium, delicatus ille Liberi currus triumphantem usque ad Thebas a solis ortu vehat, iura reges *penatium* petant: me hominem esse maxime cogitabo, cum deus undique consalutabor.

Genuinam lectionem *generatim* librarium mutasse in *penatium* mihi persuasum est. Quod attinet ad locutionem *generatim* i. e. κατὰ φυλάς iura petere, apte conferas Horat. Carm. saec. 55

iam Scythae responsa petunt superbi
nuper et Indi.

Insuper comparandus est locus Caesarianus B. G. I 51 Germani suas copias castris eduxerunt *generatim*que constituerunt..... Harudes, Marcomannos, Tribocos, Vangiones, Nemetes, Sedusios, Suebos e. q. s.

Seneca pergens affirmare se otio usum tamen Stoicae praecepta observare posse sic scribit:

VIII (de otio) 2, 1 hoc quod dico in duas dividam partes: primum, ut possit aliquis vel a prima aetate contemplationi veritatis totum se tradere, rationem vivendi quaerere atque exercere secreto; deinde, ut possit hoc aliquis emeritis iam stipendiis, profligatae aetatis, iure optimo facere et *ad alios actus animos* referre virginum Vestalium more, quae annis inter officia divisis discunt facere sacra et cum didicerunt docent.

Sicut virgines Vestales maiores adsunt minoribus et provideant, ut sacerdotes nuper a pontifice maximo captae officio rite tueantur, ita iam Seneca otium nanctus iuvenibus studiosis consilia dare potest errantibusque viam monstrare tanquam animorum medicus. Diligenter dabit operam ut discipuli illi ad τὰ αὑτῷ βεβιωμένα se fingant corrigantque. Sententia igitur, non dico ipsa verba, auctoris fuit: et ad *aliorum* actus ⟨*suos sanandos*⟩ referre e. q. s.

IX (de tranq. an.) 2, 13 inde peregrinationes suscipiuntur vagae et *in litora* pererrantur et modo mari se modo terra experitur semper praesentibus infesta levitas. „nunc Campaniam petamus." iam delicata fastidio sunt: „inculta videantur, Bruttios et Lucaniae saltus persequamur".

Suspicor pravam scripturam *in litora* natam esse ex *inl orae* id est *inlustres orae*[1]).

IX (de tranq.) 3, 3 nec enim is solus rei publicae prodest, qui candidatos extrahit et tuetur reos et de pace belloque censet, sed qui iuventutem exhortatur, qui in tanta bonorum praeceptorum inopia virtutem instillat animis, qui ad pecuniam luxuriamque cursu ruentis prensat ac retrahit et, *si nihil aliud, certe moratur*, in privato publicum negotium agit.

Quae verba inclinatis litteris excudenda curavi, ea digna sunt quae componantur cum Latronis sententia Senec. Suasor. II 19 *si nihil aliud*, erimus *certe* belli *mora*.

Seneca scribens

IX (de tranq.) 3, 7 incipiemus aedificia alia ponere, alia subvertere et mare summovere

fortasse memor fuit duorum locorum Horatianorum: Epist. I 1, 84

lacus et mare sentit amorem
festinantis eri; cui si vitiosa libido
fecerit auspicium, „cras ferramenta Teanum
tolletis, fabri!"

et Carm. II 18, 20

marisque Bais obstrepentis urges
summovere litora.

IX (de tranq.) 5, 4 immo ille vir fuerit, qui periculis undique imminentibus, armis circa et catenis frementibus non alliserit virtutem nec absconderit; non est enim servare se obruere. § 5 vere, ut opinor, Curius Dentatus aiebat, malle se esse mortuum quam..... *vivere*: ultimum malorum est e vivorum numero exire, antequam moriaris.

Curium Dentatum hominem militarem sed non philosophum quis credat mortem se vitae anteferre contendisse? Scilicet Romanus homo ille noluisset vivere impeditus sive a tyranno sive valetudine quominus rempublicam capesseret aut officia exse-

---

1) Cf. Lindsay Not. Latin. (Cambridge 1915) pag. 429; no. = 59. Stangl Bobiens. (Progr. München 1894) pag. 20 citat Val. Max. II 10, 8 *una inlustris imago*, quod praebet Leidensis, cum A et L exhibeant *una inl imago*.

queretur. Talem vitam si quis degere posset, vere *semivivus* esset atque adeo ferret *βίον οὐ βιωτόν*. Quare ediderim: Curius Dentatus aiebat malle se esse mortuum quam ⟨*semivivum*⟩ *vivere*, commotus etiam hisce verbis X (de brev. vit.) 12, 8 esse aliquem, qui usque eo deliciis interierit, ut an sedeat alteri credat! § 9 non est ergo hic otiosus, aliud illi nomen inponas: aeger est, immo mortuus est; ille otiosus est, cui otii sui et sensus est hic vero *semivivus*, cui ad intellegendos corporis sui habitus indice opus est, quomodo potest hic ullius temporis dominus esse?

IX (de tranq.) 11, 8 magna pars hominum est, quae navigatura de tempestate non cogitat. numquam me in bona ⟨*gnoma*⟩ mali pudebit auctoris. Publilius, tragicis comicisque vehementior ingeniis, quotiens mimicas ineptias et verba ad summam caveam spectantia reliquit, inter multa alia coturno, non tantum sipario, fortiora et hoc ait:

Cuivis potest accidere quod cuiquam potest.

Post *bona* eo magis puto excidisse *gnoma* [1]), quod mox Syri sententia vel *γνώμη* laudatur; cf. Front. ad M. Caes. et inv. lib. III 11 (Nab. 48, 16) *gnomas* egregie convertisti; ibid. 48, 22 bis et ter eandem convertito ita ut tu fecisti in illa *gnome* brevicula.

XII (ad Helviam matr.) 12, 1 Ne me putes ad elevanda incommoda paupertatis, quam nemo gravem sentit, nisi qui putat, uti tantum praeceptis sapientium, primum aspice, quanto maior pars sit pauperum, quos nihilo notabis tristiores sollicitioresque divitibus: immo nescio an eo laetiores sint, quo animus illorum in pauciora distringitur. § 2 transeamus *ape spe non obveniamus* ad locupletes: quam multa tempora sunt, quibus pauperibus similes sint!

Hic Senecam asseverare pauperes re vera neque inopes neque infelices [2]) esse apparet, quamobrem statim disserere incipit de hominibus alterius fortunae itaque pro illis verbis misere cor-

---

1) Gerz inseruit *voce*, quem Hermes secutus est; at deteriores codices exhibent *re*.

2) Cf. etiam huius capitis § 7 his ergo advocatis non tantum tuta est, sed etiam gratiosa paupertas.

ruptis reponendum censeo § 2 transeamus *reapse non inopes, veniamus* ad locupletes.

De benefic. VII 27, 1 Si tibi vitae nostrae vera imago succurret, videre videberis tibi captae cum maxime civitatis faciem, e. q. s.

Hic Hosius locum similem laudare poterat Ovid. Trist. I 3, 26

Haec facies Troiae, cum caperetur erat.

Ceterum eadem comparatione utitur Seneca de clement. I 26, 2 sed puta esse tutam crudelitatem, quale eius regnum est? non aliud quam captarum urbium forma et terribiles facies publici metus.

Epist. 24, 26 quosdam subit eadem faciendi videndique satietas et vitae non odium sed fastidium, in quod prolabimur ipsa inpellente philosophia, dum dicimus: „quousque eadem? nempe expergiscar dormiam, esuriam ⟨*alar*⟩, algebo aestuabo, nullius rei finis est, sed in orbem nexa sunt omnia.

Esuriam et *alar*, quod supplevi, inter se opposita sunt sicut *expergiscar* et *dormiam*. Quam facile *alar* intercidere potuerit ante *algebo* nemo non videt. Hoc verbum frequenter occurrit in Senecae scriptis Epist. 92, 1 alimur; 106, 5 alunt; 121, 2 alendum; 60, 2 alere; Herc. fur. 929 alat cet.

Epist. 86, 14 didici ab Aegialo..... quamvis vetus arbustum posse transferri, hoc nobis senibus discere necessarium est, quorum nemo non olivetum alteri ponit.

Haec scribenti Senecae obversata sunt Ciceronis verba Cat. mai. de senect. 24 idem (sc. senes) in iis elaborant, quae sciunt nihil ad se omnino pertinere:

serit arbores, quae alteri saeculo prosient,

ut ait Statius noster in Synephebis.

Epist. 95, 46 vita sine proposito vaga est. quod si utique proponendum est, incipiunt necessaria esse decreta. illud, ut puto, concedes, nihil esse turpius dubio et incerto ac timide pedem referente. hoc in omnibus rebus accidet nobis, ⟨nisi⟩ eximuntur, quae reprendunt animos et detinent et *preconarique* totos vetant.

Hic restituendum esse: et *esse in opere* conarique totos vetant, nisi omnia me fallunt, docet Ep. 104, 22 vive cum Chrysippo, cum Posidonio. hi tibi tradent humanorum divinorumque notitiam, hi iubebunt *in opere esse* nec tantum scite loqui et in oblectationem audientium verba iactare, sed animum indurare et adversus minas erigere. Verba revocata *esse in opere* fortasse in exemplo exarata erant: ee̅ ī ope̦, ita ut post *et* librarius facile praeteriret *ee̅ ī* atque pro: *ope̦ conarique* male intellecto compendio daret *preconarique*.

Epist. 99, 19 aliae (sc. lacrimae) sunt, quibus exitum damus, cum memoria eorum, quos amisimus, retractatur, et inest quiddam dulce tristitiae, cum occurrunt sermones eorum iucundi, conversatio hilaris, officiosa pietas: tunc oculi velut in gaudio relaxantur. his indulgemus, illis vincimur. § 20 non est itaque, quod lacrimas propter ⟨*coetum*⟩ circumstantem adsidentemque aut contineas aut exprimas: nec cessant nec fluunt umquam tam turpiter quam finguntur: eant sua sponte.

Quod inserui, revera est verbum Annaeanum cf. Dial. VI (ad Marc.) 25, 1 excepit illum *coetus* sacer, Scipiones Catonesque; Dial. III (de ira I) 15, 1 tolluntur e *coetu* mortalium facturi peiora quae contingunt; Dial. V (de ira III) 8, 2 inpudicorum *coetus*; Epist. 114, 6 in omni publico *coetu*; Troad. 1160 uterque flevit *coetus*; Med. 265 proculque vestro purus a *coetu* stetit (sc. Iason) cet.

Epist. 104, 29 aequalis fuit (sc. Socrates) in tanta inaequalitate fortunae. vis alterum exemplum? Accipe hunc M. Catonem recentiorem, cum quo et infestius fortuna egit et pertinacius. cui cum omnibus locis obstitisset, novissime et in morte, ostendit tamen virum fortem posse invita fortuna vivere, invita mori: tota illi aetas aut in armis est exacta civilibus aut *intacta* concipiente iam civile bellum.

Valde probabile est Senecam posuisse: aut *in civitate* concipiente iam civile bellum.

Epist. 121, 21 si tamen exigis, dicam quomodo omne animal perniciosa intellegere conatur. sentit se carne constare. itaque sentit, quid sit, quo secari caro, quo uri, quo opteri possit,

quae sint animalia armata ad nocendum: horum speciem trahit inimicam et hostilem. inter se ista coniuncta sunt: simul enim conciliatur saluti suae quidque et *iuvant illa* petit, laesura formidat.

Repone: *iuvabilia* petit. Idem adiectivum occurrit Boeth. in Arist. top. 6, 4. Cum *iuvabilia* voce adhibita sensu activo conferas Lucret. I 11 genetabilis aura favoni; Verg. Georg. I 93 penetrabile frigus; Aen. X 481 penetrabile telum; Ovid. XIII 857 penetrabile fulmen; Val. Flacc. I 781

tergeminam cum placat eram Stygiasque supremo
obsecrat igne domos, iam iam *exorabile* retro
carmen agens; cet.

Ipse Seneca frequenter usurpat adiectiva in-*bilis* exeuntia sensu vero passivo praesertim in epistulis: 58, 16 cogitabile; 124, 2 sensibile.... intellegibile (= 124, 12); 122, 14 notabilem; 82, 5 insuperabili; Dial. VII (de vita beata) 4, 5 inaestimabile bonum (= Nat. Quaest. I Praef. 4) cet.

Epist. 123, 16 gloria vanum et volucre quiddam est auraque mobilius. paupertas nulli malum est nisi repugnanti. mors malum non est: quid quaeris? sola ius aecum generis humani. superstitio error *insanandus* est: amandos timet; quos colit, violat. quid enim interest, utrum deos neges an infames?

Si restituemus *insani animi* (= $\overline{\text{ani}}$) pro *insanandus*, facillime intellegemus, quomodo vera lectio in falsam abire potuerit: solebat enim vox *animi* tribus modo litteris scribi.

Epist. 124, 1 „Possum multa tibi veterum praecepta referre, ni refugis tenuisque piget cognoscere curas." non refugis autem nec ulla te subtilitas abigit. non est elegantiae tuae tam magna sectari *sicuti illud* probo, quod omnia ad aliquem profectum redigis et tunc tantum offenderis, ubi summa subtilitate nihil agitur.

Hic requiro: non est elegantiae tuae tam magna sectari *sequius*: illud probo, quod omnia e. q. s., cf. de benef. VI 42, 2 at vereor, ne homines de me *sequius* loquantur.

De Astyanacte, quem Ulixes de turre deiecturus est, Seneca haec refert Troad. 1098

ut summa stetit
pro turre, vultus huc et huc acres tulit
intrepidus animo. qualis ingentis ferae
parvus tenerque fetus et nondum potens
saevire dente iam tamen tollit minas
morsusque inanes temptat atque animis tumet:
sic ille dextra prensus hostili puer
ferox *superbe*, moverat vulgum [1]) ac duces
ipsumque Ulixen.

De eodem puero quia mox poeta ait vs. 1102
sponte desiluit sua
in media Priami regna,

expectaveris supra vs. 1098 ferox *perurget*. *Urgendi* verbum usurpat Seneca Med. 948, Oedip. 543, Phaedr. 27 cet.

Herc. [fur.] 610..... *noctis aeternae chaos*
et nocte quiddam gravius et tristes deos
et fata vidi.

Verba *noctis aeternae chaos* redeunt apud Senecam (quod observo, cum desideretur in Commentariis Gronovii Schroederi aliorum) Med. 9; imitatus est Prudentius Cath. IX 81 fertur horruisse mundus *noctis aeternae chaos.*

Herc. [fur.] 708 qua sede positus temperat *populos leves*?
Praeiit Ovid. Metam. X 14
perque *leves populos* simulacraque functa sepulcro
Persephonen adiit (sc. Orpheus).

Phoeniss. 89 unica Oedipodae est salus
non esse salvum.....

Haud dubie Senecae obversata sunt verba Vergilii Aen. II 354
una salus victis, nullam sperare salutem.

Med. 792 sic face tristem
pallida lucem funde per auras,
horrore novo terre populos

1) Accusativ. masc. gen. *vulgum* occurrit Dial. VII (de vita beata) 2, 2; de benef. I 2, 1; Nat. Quaest. I Praef. 15.

inque auxilium, Dictynna, tuum
pretiosa sonent aera Corinthi.

Cum his versibus primum conferendi sunt Phaedr. 788

et nuper rubuit, nullaque lucidis
nubes sordidior vultibus obstitit;
at nos solliciti numine turbido
tractam Thessalicis carminibus rati
tinnitus dedimus,

deinde cum aliis locis tum imprimis illustrari possunt Tac. Ann. I 28 luna claro repente caelo visa languescere..... igitur aeris sono, tubarum cornuumque concentu strepere.

Phaedr. 433 *sospes* est certe parens
*sospes*que Phaedra stirpis et geminae iugum?

Hanc anaphoram Seneca desumpsit ex Hom. Iliad. XVI 14

ζώειν μὰν ἔτι φασὶ Μενοίτιον, Ἄκτορος υἱόν,
ζώει δ᾽ Αἰακίδης Πηλεὺς μετὰ Μυρμιδόνεσσι.

Octav. 377 Quid me, potens Fortuna, fallaci mihi
blandita vultu, sorte contentum mea
alte extulisti, gravius ut ruerem edita
receptus arce.....

Hic nimirum respicit Octaviae auctor Senecae versus Agam. 101

quidquid in altum Fortuna tulit,
ruitura levat.

CAPUT II.

Apuleiana.

Helm sic edidit:

Metam. I 7 (pag. 7, 3) nam ut scis optime, secundum quaestum Macedoniam profectus,..... in quadam avia et lacunosa convalli a vastissimis latronibus obsessus atque omnibus privatus tandem evado et utpote ultime adfectus ad quandam cauponam Meroen, anum, sed admodum scitulam, devorto eique causas et peregrinationis diuturnae et domuitionis anxiae et spoliationis miserae refero; quae me nimis quam humane tractare adorta cenae gratae atque gratuitae ac mox urigine percita cubili suo adplicat. et statim miser, ut cum illa adquievi, ab unico congressu annosam ac pestilentem ⟨*servitutem*⟩ contraho et ipsas etiam lacinias quas boni latrones contegendo mihi concesserunt, in eam contuli.

Expectaveris potius: ab unico congressu ⟨*insaniam*⟩ annosam ac pestilentem contraho, cf. Cic. pro Sull. § 70 Quis Lentuli societates cum indicibus, quis *insaniam libidinum*..... recordatur, qui illum aut nefarie cogitasse aut stulte sperasse miretur?

Metam. III 2 quati fores interdum et frequenti clamore ianuae nostrae perstrepi; nec mora, cum magna inruptione patefactis aedibus magistratibus eorumque ministris et turbae miscellaneae ⟨*frequentia*⟩ cuncta completa statimque lictores duo de iussu magistratuum immissa manu trahere me sane non renitentem occipiunt.

Ut pulchram allitterationem obtineamus edendum censeo: turbae miscellaneae ⟨*coetu*⟩ cuncta completa e. q. s. Cum eiusmodi locutione [1]) conferas quaeso IV 17 *coetui* multarum fera-

---

1) Est quasi quidam genetivus synonymus; cf. Koziol Stil des Apul. pag. 22—32; Brakman Arnob. (1917) pag. 15.

rum et III 2 (53, 13) propter *coetus* multitudinem. Ceterum frequenter occurrit *coetus* apud Apuleium, cf. Met. IV 1; VI 23; VII 1; VII 23; IX 12 cet.

IV 23 nec mora, cum latrones ultra ⟨modum⟩ anxii atque solliciti remeant, nullam quidem prorsus sarcinam vel omnino, licet vilem, laciniam ferentes, sed tantum gladiis ⟨totis⟩, totis manibus, immo factionis suae cunctis viribus unicam virginem filo liberalem et, ut matronatus eius indicabat, summatem regionis, puellam mehercules et asino tali concupiscendam, maerentem et crines cum veste sua lacerantem advehebant. eam simul intra speluncam ⟨*ducunt*⟩ verbisque quae dolebat minora facientes sic adloquuntur e. q. s.

Ducunt, quod Halmio auctore Helm addidit, mea quidem sententia minus huc quadrat: substituo *claudunt.*[1])

V 5 ea nocte ad suam Psychen sic infit maritus — namque praeter oculos et manibus et auribus *ius* nihil sentiebatur.

Ius post *auribus* corruptum videtur e vocabulo *visu; praeter oculos* autem habendum est glossema, quod postea e margine in auctoris verba irrepsit. Repono igitur: namque [praeter oculos] et manibus et auribus — *visu* nihil — sentiebatur.

VI 14 namque saxum immani magnitudine procerum et inaccessa salebritate lubricum mediis e faucibus lapidis fontes horridos evomebat, qui statim proni foraminis lacunis editi perque proclive delapsi et angusti canalis exarato contecti tramite proxumam convallem latenter incidebant. dextra laevaque cautibus cavatis proserpunt..... et longa *colla* porrecti saevi dracones inconivae vigiliae luminibus addictis et in perpetuam lucem pupulis excubantibus.

In lacuna ab Helmio iure ante *et* significata veri est simillimum excidisse adiectivum *sibila.* Apud Vergilium, quem infra ostendemus persaepe exemplo fuisse Apuleio legimus Georg. III 420

cape saxa manu, cape robora, pastor,
tollentemque minas et *sibila colla* tumentem
deice.

1) Cf. III 15 semper haec intra conseptum *clausa* custodias; VI 11 Cupido solus interioris domus unici cubiculi custodia *clausus* cet.

VI 19 sed inter omnia hoc observandum praecipue tibi censeo, ne velis aperire vel inspicere illam, quam feres, pyxidem vel omnino divinae formonsitatis abditum ⟨*rimari*⟩ curiosius thensaurum.

Quam vocem supplevi, ea vera est vox Apuleiana cf. II 26 ammoto lumine revelataque eius facie *rimabar* singula; X 15 per quandam modicam cavernam *rimantur* me passim expositis epulis inhaerentem; V 2 paulo fidentior intra limen sese facit, mox prolectante studio pulcherrimae visionis *rimatur* singula cet.

VII 23 Sed quidam de coetu illo rusticorum: „nefas", ait, „tam bellum asinum sic enecare et propter luxuriem lasciviamque amatoriam..... tus (?) opera servitioque tam necessario carere, cum alioquin exsectis genitalibus possit neque in venerem nullo [1]) modo surgere vosque omni metu periculi liberare, insuper etiam longe crassior atque corpulentior effici.

Quoniam in Φ exarata sunt *amatoriam criminatum*, in F autem secunda manus superscripsit: *amatoriam criminatus*, Apulei manum restituere posse mihi videor edendo: propter luxuriem lasciviamque, *amatorium reatum*, opera e. q. s. *Criminatum* igitur habeo pro glossemate.

Plus quam semel in Metamorphoseon libris occurrit vocabulum *reatus*, cf. VII 9 malae conscientiae *reatum* intra me sustinebo; III 6 nec possum reperire, cur iustae ultionis, qua contra latrones deterrimos commotus sum, nunc istum *reatum* sustinebo cet.

His coniecturis addo nonnullos locos similes:

Apul. Met. VII 5 talibus dictis *universi omnes* adsensere.	Front. ad Ver. Imp. II 1 (Nab. 127, 15) Sed enim *omnes universos*, *quicumque* [2])... oratores extiterunt, si enumerare velis e. q. s.
Cf. Plaut. Trinumm. 1046 nam id genus hominum *omnibus universis* est advorsum.	Gell. XIX 12, 1 *omnes* memoriae nostrae *universos* gravitate atque copia.... longe praestitit.

1) Recte nunc editor codicis (F) lectionem servavit.

2) Cf. Iul. Valer. I 25 iubet *omnes*, *quique* per ambitum usque ad lapidem tricesimum coluissent, *universos* eodem commigrare cet.

Saepissime Apuleius imitatus est Vergilium, nusquam vero saepius quam Metam. VI 18—20, quod non fugit Gatscham [1], qui tamen omisit comparare hosce locos:

Apul. Met. VI 18 huic squalido seni.	Verg. Aen. VI 299 terribili squalore Charon.
VI 19 *servat* [2] vacuam Ditis domum.	Aen. VI 269 perque domos Ditis vacuas.
VI 19 hunc (sc. canem Cerberum) offrenatum unius *offulae* praeda (cf. VI 20 *offulae* cibo sopita canis).	Aen. VI 419 cui (sc. Cerbero) vates... medicatis frugibus *offam* obicit.
IV 31 quod *incipit velle.*	Aen. IV 751 *incipiant.... velle* reverti.
VIII 6 amens et vecordia percita cursuque bacchata furibundo per plateas populosas... fertur.	Aen. IV 300 saevit inops animi totamque incensa per urbem | *bacchatur.* Aen. VII 377 immensam sine more *furit lymphata* per urbem.

Cum dubitari non possit quin sibi respondeant:

Apul. Florid. I neque enim iustius religiosam moram viatori obiecerit.... fagus.... *coronata*.... truncus dolamine *effigiatus*... *lapis unguine delibutus*,	et Min. Fel. Octav. 3, 1 ut.... in *lapides* eum patiaris inpingere, *effigiatos* sane et *unctos* et *coronatos*,

statuendum est Apuleium iterum exemplo fuisse Minucio Felici:

Met. VIII 10 nullo *lumine conscio.*	Octav. 9, 7 everso et extincto *conscio lumine.*

Iam pridem observavi non exiguam similitudinem extare inter Apuleium et Arnobium; hic confero:

Met. IV 12 perfracta diffusaque *crate costarum.* cf. Verg. Aen. XII 508 crates pectoris.	Arnob. Adv. Nation. III 13 consentaneum est et illa portari quae sub *costis* earumque sub *cratibus* cutes contegunt.
Met. V 26 *nomen* quo tu *censeris.* [3]	Adv. Nat. I 3 (6, 10) ipsa *nomina*, quibus *censentur* haec mala.

---

1) Dissert. philol. Vindob. Vol. VI pag. 144—147.

2) Cf. Aen. VI 298 portitor.... aquas et flumina *servat.*

3) Hunc locum affert Helm.

Met. VIII 25 hoc enim *nomine censebatur* iam meus dominus.	V 44 (213, 4) in ipsis (sc. deis) qui *censentur* his *nominibus*.
Met. V 30 *inrisui habita*.	Adv. Nat. VI 1 (214, 16) honorum haec genera... *risui habere*.
Met. X 26 Qua mira *desperatione* [1]) truculentae feminae repente perturbatus medicus.	Adv. Nat. I 25 (16, 25) quid promere *temerariae* vocis *desperatione* temptatis? VI 1 (214, 14) tamquam aliquem sumpserimus *temeraria* in deos *desperatione* contemptum.
Met V 6 pernicioso consilio *suasa*.	Adv. Nat. I 64 adseverationibus *suasi*.

1) Hanc vocem integram esse declarant loci Arnobiani, at Helm coniecit *desideratione*. *Desperatio* autem ponitur pro *audacia*.

CAPUT III.

Ad Firmicum Maternum.

In fine prooemii Mathes. Lib. I legimus § 8 (pag. 4): [1]) In nobis tenue ingenium et sermo subtilis et, quod vere confitendum est, matheseos *permodica....* quae omnia cum nos varia desperatione turbarent, adgressi sumus tamen scribendi laborem e. q. s.

Vox *permodica* integra est cf. Sueton. Aug. 6 nutrimentorum eius ostenditur adhuc locus in avito suburbano iuxta Velitras *permodicus* et Tib. 47 *permodica* re familiari auctore Augusto quattuor liberos tulerat (sc. Quinti Hortensi oratoris nepos). Apparet igitur post *permodica* substantivum excidisse. Quid supplendum sit discimus ex III 5, 22 Si vero in septimo loco geniturae vel in quocumque alio cardine collocato Sole ei Mercurius se in eodem loco positus iunxerit vel matutinus vel vespertinus, litteratos faciet, qui maximam ac variam litterarum *scientiam* consequantur. Si vero sic Soli ac Mercurio positis Saturnus se coniunxerit, malitiosos facit, malivolos pessimos, et qui velint difficilium litterarum *notitiam* habere vel qui easdem ipsas difficiles litteras faciant. — Nonne ergo restituemus: In nobis tenue ingenium..... et matheseos permodica ⟨*notitia*⟩?

I 7, 5 Ille ingenui sanguinis ornamenta circumferens honorum debitis privatur insignibus. Ille primo aetatis gradu positus, nulla praeferens ornamenta virtutis, omnes honores praecipiti celeritate continuat; ille iam deficientis aetatis senio confectus et testimonium egregiae vitae ⟨*consecutus*⟩ cursu nunc primo in adeundis honoribus auspicatur.

---

1) Textum dedi secundum editionem, quam curaverunt Kroll Skutsch Ziegler.

Quod supplevi, re vera vox Firmiciana est cf. I 7, 37 ornamenta dignitatis *consequitur*; I 10, 14 felicitatis munera *consequatur*; II praef. § 1 scientiam *consequantur* (redit ibid. § 3).... scientiam *consequi*; III 5, 22; V 1, 23; de err. prof. rel. 26, 2 cet. Quod addere voluerunt editores *adeptus*, hoc participium non nisi raro occurrit in huius auctoris operibus.

I 7, 13 Etiam nunc derogas fato et stellarum vim obstinata animositate contemnis, cum videas bonorum malos exitus, malorum prosperos actus, innocentium..... ⟨*nocentium*⟩ securitates? Ab editoribus *nocentium* sine dubio recte insertum est, verum insuper addi oportet *curas* sive *sollicitudines*, quod opponatur verbo *securitates*, cf. IV prooem. § 3 hos ad te, Lolliane, solutus omni *sollicitudinis cura* [1]) libros scripsi; Cyprian. ad Fortun. 2 Quid autem potius aut maius *curae* nostrae ac *sollicitudini* congruit quam cet. Fortasse autem praeferendum est *curas-securitates*, cum et alibi Firmicus verba ab eadem stirpe derivata coniungat, cf. I 8, 8 perinicum est, ut ab eo in sequentibus orationis partibus refutetur, quod praecedenti *confessionis professione* fuerat roboratum.

VI 29, 21 Sed ⟨si⟩ sic posita Venus in matutino ortu fuerit inventa, in prima aetate constitutis infortunia viduitatis indicit. Si vero in vespertino ortu fuerit inventa,..... aetate viduitatis decernuntur incommoda.

Sententia flagitare videtur ⟨*in provecta*⟩ aetate e. q. s. Accedit quod *in provecta* facillime excidere potuit post *inventa*, praesertim cum *pro* repraesentaretur notissimo signo; cf. VI 30, 6 aut pauperem ista coniunctio aut *provectae* aetatis decernit uxorem (idem fere redit VI 31, 10; VI 31, 43); VIII 25, 4 hic *provecta aetate* ⟨morte⟩ sua morietur cet.

VI 29, 23 Si nuptialis signi dominus in feminino signo constitutus occasum vel MC. possederit, virgines latenter stupra ⟨*perpetrare prava*⟩ cupiditate conpellit.

Addidi *perpetrare prava* ut allitterationem lucraremur, simul

---

1) Hunc genetivum inhaerentiae sive synonymum commemoravi Arnobian. pag. 17.

ut unusquisque intellegeret quam facile librarius ab altera syllaba vocis *stupra* aberrare posset ad *(prava) cupiditate*. Verba a me inserta commendantur usu Firmiciano, cf. VI 24, 2 ista Martis Venerisque coniunctio stupratores adulterosque perficiet, ut *pravo* cupiditatis ardore possessi, et indomitae libidinis stimulis incitati, captiosis pollicitationibus stupri *perpetrandi* causa alieni matrimonii iura sectentur; VI 13, 16; VIII 1, 2 cet. Hunc autem auctorem mire diligere allitterationes declarant haec exempla VIII 1, 1 proiectum per praecipitia perdamus; VI 30, 14 et (sc. si) in medii caeli secundo signo Saturnus sic sit sicut ante diximus constitutus; de err. prof. rel. 25, 2 Adam praevaricatione propria promissam perdidit vitam cet.

Quae ratio intercedat inter Firmicum Maternum et Arnobium.

Cum in verbis [1]) tum in rebus inter Firmicum Maternum et Arnobium magna similitudo extat, quod non fugit Zieglerum, cui debemus editionem opusculi, cui titulus de errore profanarum religionum. Aliquot tamen ὁμοιότητες a Zieglero praetermissae videntur.

de err. prof. rel. 6, 9 hoc malum radicitus *amputatum* (cf. 16, 4). Mathes. VIII 1, 1 *amputatis*..... si fieri potest omnibus vitiis.	Arnob. I 27 (Reiff, 18, 11) et ab omni nos labe delictorum omnium *amputatione* purgemus.
de err. prof. rel. 8, 2 alii *amputatis* viribus [2]) plangunt.	Arnob. VII 24 (257, 20) cauda pecoris *amputata*.
de err. 8, 1 Si convocato omni genere humano sol habita con-	Arnob. I 29 (19, 19) atque utinam daretur in unius speciem

1) Firmicum Maternum Arnobio auctore frequentissime genetivum inhaerentiae adhibuisse iam alibi exposui (cf. Arnob. pag. 17—18). Hic insuper comparo de err. prof. 6, 2 speculo *adfabre facto* cum Apul. Apol. 61 geometricas formas e buxo.... *adfabre factas*; Mathes. II 30, 10 errantibus hominibus.... rectam vivendi viam monstra cum Enniano illo (Cic. de off. I 51) homo, qui erranti comiter monstrat viam (cf. Arnob. II 72); Mathes. IV 14, 3 mendicos.... pauperes, *pannis obsitos* cum Terent. Eun. 236 sentum squalidum aegrum *pannis* annisque *obsitum*.

2) Hanc vocem tuens Ziegler iure confert Arnob. VI 5 (178, 9) suis ipse se *viribus* eo quo vir erst privat sexu.

tione loqueretur, disperationem vestram hac forsitan oratione percuteret.	contionis toto orbe contracto oratione hac uti et humani in generis audientia conlocari.
de err. 12, 5 ab Apolline ex Marsyae *casibus* [1]) crudelium tormentorum ordinem discat.	Arnob. I 50 (34, 10) sub eorum (sc. daemonum) tortantes et illi (sc. apostoli) se *casibus* iussione non alia sanitati et constantiae reddiderunt.
de err. 16, 2 Quid enim meretur aliud parricida, nisi ut *perpetua continuatione* flammarum.... concremetur?	Arnob. I 34 (22, 17) non enim ipsa per se sunt sed ex eius *perpetuitate perpetua* et *infinita* semper *continuatione* procedunt.
ibid. 27, 2 *perpetua* tormentorum *continuatione* grassatur.	III 29 (131, 25) in *continua* serie *perpetuitatis*.
	V 8 (181, 24) neque initia neque fines saeculorum *perpetua* in *continuatione* sortitos.
Mathes. III prooem. § 3 Hac ex causa *hominem* quasi *minorem* quendam *mundum* stellae quinque..... sustentant, ut animal, quod *ad imitationem mundi factum* est, simili divinitatis substantia gubernetur.	Arnob. II 25 (68, 18) hic est ille pretiosus et rationibus *homo* augustissimis praeditus *mundus minor* qui dicitur et *totius in speciem similitudinis fabricatus* atque formatus [2]) e. q. s.

Hoc ultimo loco certe similitudo inter Firmicum et Arnobium multo maior est quam inter Firmicum et Manilium, quem auctor Matheseos saepius ad imitandum sibi proposuit; cf. Astron. IV 894

quid mirum, noscere mundum
si possunt homines, quibus est et mundus in ipsis
exemplumque dei quisque est in imagine parva?

Ceterum etiam in rebus frequenter consentiunt Firmicus et Arnobius. Debuit igitur Ziegler comparare

---

1) Hoc loco *casibus* (cf. 16, 3; 27, 8 cet.) sicut apud Arnob. I 50 manifesto idem significat quod *cruciatibus*.

2) Haec est lectio codicis iniuria ab Reifferscheidio immutata.

de err. 10 Audio Cinyram Cyprium templum amicae meretrici donasse — ei erat Venus nomen — initiasse etiam Cypriae Veneri plurimos et vanis consecrationibus deputasse, statuisse etiam ut quicumque initiari vellet secreto Veneris sibi tradito, assem unum mercedis nomine deae daret.	Arnob. V 19 (190, 21) nec non et Cypriae Veneris abstrusa illa initia praeterimus, quorum conditor indicatur Cinyras rex fuisse, in quibus sumentes ea certas stipes inferunt ut meretrici et referunt phallos propitii numinis signa donatos.
de err. 11 In sacris Corybantum parricidium colitur. Nam unus frater a duobus interemptus est, et ne quod indicium necem fraternae mortis aperiret, sub radicibus Olympi montis a parricidis fratribus consecratur (cf. 12, 4).	Arnob. V 19 (190, 24) oblivioni etiam Corybantia sacra donentur, in quibus sanctum illud mysterium traditur: frater trucidatus a fratribus, interempti ex sanguine apium natum, prohibitum mensis holus illud apponi, ne a Manibus mortui inexpiabilis contraheretur offensio.
de err. 12, 4 Muliebria patitur aliquis et effeminato corpori solacium quaerit: videat Liberum amatori suo post mortem etiam promissae libidinis praemia imitatione flagitiosi coitus repensantem.	Arnob. V 28 (199, 17) Prosymnus quidam exoritur ignominiosus amator dei (sc. Liberi) atque in nefarias libidines satis pronus, qui se ianuam Ditis atque Acherusios aditus pollicetur indicaturum, si sibi gereret morem deus atque uxorias voluptates pateretur ex se carpi e. q. s. (usque ad finem huius capitis): et meditatur ab ligno pati quod iam dudum in veritate promiserat.
de err. 16, 1 Quinque Minervas fuisse legentibus nobis tradit antiquitas e. q. s.	Arnob. IV 14 (152, 9) sed et Minervae inquiunt, sicut Soles et Mercurii quinque sunt e. q. s. (cf. Cic. de nat. deor. III 59).

Has historias Arnobius desumpsit e Clemente Alexandrino, qui sicut Firmicus Maternus plurimas res hausit ex ipso

Euhemero aut ex fonte derivato ex Euhemero. Sic facile intellegimus consensum similitudinemque inter Firmicum et Arnobium; accedit quod Firmicus, qui item provectus demum aetate fidem Christianam amplexus erat, necessario rhetoris Siccensis libros magno cum favore legit.

CAPUT IV.

Ad Plauti Amphritruonem.

Aliquot versus Plauti Amphitruonis satis facile mihi videor corrigere posse. Sunt autem hi

41 nam quid ego memorem, ut alios in tragoediis
vidi Neptunum, Virtutem, Victoriam,
Martem, Bellonam, commemorare quae bona
vobis fecissent, quis benefactis meus pater,
45 deorum regnator, architectust omnibus?
sed mos numquam illi fuit patri *meo*....
ut exprobraret quod bonis faceret boni.

Solent editores post *meo* (vs. 46) signum corruptionis appingere, ego puto verbum intercidisse inter *patri* et *meo*:

sed mos numquam illi fuit patri ⟨*turpis*⟩ meo.

Hic ultima tria verba singulos iambos efficiunt, sicut vs. 31

contagione mei patris metuo malum.

94 hanc fabulam inquam hic Iuppiter hodie ipse aget
et ego una cum illo. *nunc*.... animum advortite,
dum huius argumentum eloquar comoediae.

Legendum censeo: *nunc*⟨*iam*⟩ animum advortite cf. vs. 778

age aspice huc sis *nunciam*
tu qui quae facta infitiare, quem ego iam hic convincam palam.

Cf. etiam Asinar. 486, 679, 710 cet.

227 postquam id actumst, tubae contra utrimque occanunt,[1]
consonat terra: clamorem utrimque efferunt.
imperator utrimque hinc et illinc Iovi
vota suscipere.... hortari exercitum.

---

1) Haec est Bergkii lectio (a Leone recepta); ceterum sequor editionem Teubuerianam.

Spengel inseruit *utrimque*, quod iam ter praecedit corroboraturque nimis vs. 229 *hinc et illinc*. Nonne praestat scribere

vóta suscípere ⟨*more*⟩ hórtari exércitum?

506 Nimis hic scitast sycophanta, qui quidem meus sit pater.
observatote.... quam blande mulieri palpabitur.

Imperativus sine dubio corruptus est, verum eiusdem modi alia tantum forma opus est:

óbserva[to]te⟨*dúm*⟩ quam blande múlieri palpábitur, cf. manedum (Asinar. 585, 877); tangedum Rud. 784; iubedum Rud. 786; idum Rud. 798 cet.

622 non soleo ego somniculose eri imperia persequi
vígilans vidi, vígilans.... *nunc* vídeo, vigilans fábulor,
vigilantem ille me iam dudum vigilans pugnis contudit.

Restituendum videtur vigilans ⟨*et*⟩ nunc video. *Et* sensu *etiam* legitur Rud. 8 *et* alia signa de caelo ad terram accidunt [1]).

949 evocate huc Sosiam
gubernatorem, qui in mea navi fuit,
Blepharonem arcessat, qui nobiscum prandeat.
is adeo inpransus ⟨*ludis*⟩ ludificabitur,
quom ego Amphitruonem collo hinc obstricto traham.

Quod addidi, poeta non indignum est. Plautus omnino libenter verba ab eadem stirpe derivata [2]) coniungit e. g. 994

siquid patri *volupest*, *voluptas* ea mi multo maxumast.

1) Cf. Kühner-Stegmann II § 151, 9 (pag. 8).
2) Vs. 899 *ita* ⟨*ingeni*⟩ *ingenium meumst* coniecit Seyffardt.

CAPUT V.

Observatiunculae ad Ciceronis orationem de domo sua.

§ 76 itaque ille unus dies quo die me populus Romanus a porta in Capitolium atque inde domum sua celebritate laetitiaque comitatum honestavit, tantae mihi iucunditati fuit, ut tua mihi conscelerata illa vis non modo non propulsanda, sed etiam *emendanda* fuisse videatur.

Si sumimus primariam scripturam fuisse *commendanda*, compendio exaratam *c̄mendanda*, facillime vitii origo intelligitur.

§ 98 suscipere tantos animi dolores atque ea quae capta urbe accidunt victis, stante urbe unum perpeti, et iam se videre distrahi a complexu suorum, disturbari tecta, diripi fortunas, patriae denique causa patriam ipsam amittere, spoliari populi Romani beneficiis amplissimis, praecipitari ex altissimo dignitatis gradu, videre praetextatos inimicos nondum morte complorata arbitria petentis funeris — haec omnia subire conservandorum civium causa atque ita ⟨*facere*⟩, cum dolenter feras et sis non tam sapiens quam ii qui nihil curant, sed tam amans tuorum ac tui quam communis humanitas postulat, ea laus praeclara atque divinast.

Leni medicina me locum corruptum sanasse puto.

§ 130 tempus illud erat tranquillum et in libertate populi et gubernatione positum senatus, tuum porro tempus libertate populi Romani oppressa, senatus auctoritate deleta.

§ 131 res illa plena iustitiae sapientiae dignitatis. censor enim penes quem maiores nostri id quod tu sustulisti, iudicium senatoriae dignitatis esse voluerunt, Concordiae signum volebat in curia curiamque ei deae dedicare; praeclara voluntas atque omni laude.....

Vulgo scribunt: *omni laude* ⟨*digna*⟩, quae verba malam efficiunt clausulam, repone ergo *dignissima*.

§ 133 es tu quidem cum audacia, tum inpudentia singulari, sed tibi tamen oculi voltus verba cecidissent, cum te viri qui sua dignitate personam populi Romani atque auctoritatem imperii sustinerent, verbis gravissimis proterruissent neque sibi fas esse dixissent, furori interesse tuo atque in patriae parricidio et scelere ⟨*laetari*⟩.

Laetari (scr. *letari*), quod supplevi, post *scelere* potius omitti potuit quam *gloriari*, quod A. Klotz proposuit.

Non intellego cur A. Klotz haec verba

§ 19 cum his haec a me haberi oratio potest qui ita disputant se si qua res ad unum deferenda sit, ad Cn. Pompeium delaturos potissimum; sed se extra ordinem nihil cuiquam dare — non contulerit cum

de imp. Cn. Pomp. § 52 quid igitur ait Hortensius? si uni omnia tribuenda sint, dignissimum esse Pompeium, sed ad unum tamen omnia deferri non oportere.

§ 48 hoc ministro *omnium.... bipedum.... inpurissimo* rempublicam perdidisti.

Componas quaeso Plin. Epist. I 5, 14 Regulus, *omnium bipedum nequissimus* et Apul. Metam. IV 10 sed dudum scilicet *omnium bipedum nequissimus* Chryseros vigilans e. q. s.

CAPUT VI.

Observatiunculae ad Celsi Medicinam.

In egregia editione Celsi, quam curavit F. Marx, legimus pag. 46, 2

II 1, 3 Si genus aliud ventorum est, salubriores septentrionales quam subsolani vel austri sunt, sic tamen haec ut interdum regionum sorte mutentur. § 4 Nam fere ventus ubique a mediterraneis regionibus veniens salubris, a mari gravis est. Neque solum in bono tempestatium habitu certior valetudo est, sed *prior* morbi quoque, si qui inciderunt, leviores sunt <et> promptius finiuntur.

Pro corrupta voce *prior* Marx coniecit *praeterea*, sed vide ne potius reponendum sit *prorsus*, cum *prior* et *prorsus* per compendia scripta non ita multum inter se differant.

III 2, 5 Igitur si quid ex is, quae proposita sunt, incidit, omnium optima sunt quies et abstinentia: si quid bibendum est, aqua, idque interdum uno die fieri satis est, interdum, si terrentia manent, biduo; proximeque abstinentiam sumendus est cibus exiguus, bibenda aqua, postero die etiam vinum, deinde invicem alternis diebus modo aqua modo vinum, donec omnis *causae* metus finiatur.

Marx delevit *causae*, quod tamen tueri videtur Lib. II praef. 2 (pag. 45, 5) sed antequam dico, quibus praecedentibus *morborum timor* subsit e. q. s. Iam apud Livium *causam* idem fere valere atque *morbum* apparet ex XXII 8, 3 pars non id, quod acciderat per se aestimare, sed, ut in adfecto corpore quamvis levis *causa* magis quam in valido gravior sentiretur e. q. s. Eundem sensum induit mea quidem sententia *causa* apud Cel-

sum Prohoem. § 16 (pag. 19, 27) eum vero recte curaturum (sc. credunt), quem prima origo *causae* non fefellerit cet. [1].

III 18, 17 Alterum insaniae genus est, quod spatium longius recipit, quia fere sine febre incipit, leves deinde febriculas excitat. Consistit in tristitia, quam videtur bilis atra contrahere. In hac utilis detractio sanguinis est: si quid hanc prohibere ⟨*poterit*⟩, prima est abstinentia e. q. s.

Poterit, quod Marx addidit ante *prohibere*, transposui, ut protasis terminaretur ditrochaeo; contra *hanc poterit prohibere* altera pars versus heroici est [2]).

III 27, 2 Interdum vero etiam nervorum dolor oriri solet. In hoc casu non vomere, non urinam medicamentis movere, non sine exercitatione sudorem, ut quidam praecipiunt expedit..... Cucurbitulae quoque saepe dolenti parti admovendae sunt, pulsandusque leviter inflatis vesicis bubulis ⟨is⟩ locus est. Utile est etiam sebum miscere cum hyoscyami et urticae contritis seminibus, sic ut omnium par modus sit, idque inponere; fovere aqua, in qua sulpur decoctum sit. Utriculi quoque recte inponuntur aqua calida repleti, aut bitumen cum hordeacia farina *iactum*.

Quod J exhibet *mixtum* pro *iactum*, indicare videtur genuinam lectionem fuisse *coactum* [3]) cf. VI 3, 2 Super utrumque oportet inponere elaterium aut lini semen contritum et aqua *coactum* aut ficum in aqua decoctam e. q. s. VI 5, 3 Quae omnia contrita melle quam amarissimo *coguntur*; VI 6, 16 B His inlita fronte cataplasma quoque superiniciendum est ex farina, quae frigida aqua *coacta* sit cet.

De curatione anginae cum alia Celsus scribit tum haec:

IV 7, 3 Tum commodum est hysopum vel nepetam vel thumum vel apsinthium vel etiam furfures aut ficus aridas aut

---

1) Obloquitur Marx Prolegom. XCVII sq. Ego de genetivo inhaerentiae *causis morborum* egi ad Senec. Dial. VI (ad Marc.) 11, 1.

2) Ipse Marx Prolegom. CV scribit: Heroum a sermone pedestri alienum esse supra vidimus.

3) Verte: gekneed, vermengd.

mulsam aquam decoquere, eaque gargarizare; post haec palatum unguere vel felle taurino vel eo medicamento, quod ex moris est. Polline etiam *si* piperis id recte respergitur.

Si Marx putat reliquas litteras esse participii *tusi*, ego *pisi*.

V 27, 12 C Si fungos inutiles quis adsumpsit, radicula aut *pota* aut cum sale et aceto edenda est.

Nonne restituendum est: radicula aut *puta* (= pura puta)?

V 28, 11. Sed cum omnes hi nihil nisi minuti abscessus sint, generale nomen trahit latius vitium ad suppurationem spectans; idque fere fit aut post febres aut post dolores partis alicuius maximeque eos, qui ventrem infestarunt. Saepiusque oculis expositum est, siquidem latius aliquid intumescit ad similitudinem eius, quod phyma vocari proposui: rubetque cum calore et paulo post etiam cum duritia, magisque *innocenter* indolescit et sitim vigiliamque exprimit.

Innocenter i. e. *īnocenter* corruptum est: illa littera *ī* orta mihi videtur ex signo notissimo, quod repraesentat *et*. Repono igitur: magisque *et nocenter* indolescit, quod verto: en al heviger en kwaadaardig treedt de pijn op.

VI 13, 2. In maiore vero inflammatione isdem medicamentis utendum est, quae ad ulcera oris supra posita sunt: et mollis linamenti paulum involvendum ex is aliqua compositione, quas antheras vocari dixi, demittendumque id inter dentem et gingivam. Quod si *duriore* id prohibebit, extrinsecus admovendus erit spongia vapor calidus, inponendumque ceratum.

Duriore falsa scriptura orta videtur ex *durior res* i. e. tuberculum, cf. initium huius cap. 13 § 1 Solent etiam interdum iuxta dentes in gingivis tubercula quaedam oriri dolentia: parulidas Graeci appellant.

VII 17, 2. Praeter haec evenit, ut in quorundam ventribus varices sint; quarum quia nulla alia curatio est, quam quae in cruribus esse consuevit, *tum* eam partem explanaturus, hanc quoque eo differo.

Vix potest dubitari quin genuina lectio fuerit: *consuevit*, ⟨*ubi*⟩ [1])

1) *Ubi* vel *uvi* post *consuevit* facile excidere potuit.

sum eam partem explanaturus, hanc quoque eo differo; — haec medicina certe multo lenior est quam illa quae ab editore recentissimo proposita est.

VII 29, 8. Si tamen id incidit, super ventrem mulieris duplici panniculo iniecto, valens homo non inperitus a sinistro latere eius debet adsistere et super imum ventrem eius duas manus inponere alteraque alteram premere; quo fit, ut illud caput ad os volvae conpellatur; idque eadem ratione, quae supra posita est, unco *extrahere.*

Ad infinitivum *extrahere* Marx adnotat in apparatu critico (vs. 32) *periit oportet.* Mihi videtur ex praecedenti *debet* illud *oportet* sine ullo negotio subaudiri posse, praeterea optima clausula *úncŏ èxtráhere* non admittit supplementum. Eodem modo post gerundivum in sententia antecedenti non semel mente supplendum est in sequenti *oportet* sive *debemus*; cf. *manendum est* in aeternis sedibus, non istis mundi turbinibus diutius *stare* et deliciis eius atque delictis *inlaqueari* [1]). Hic Reitzenstein inseruit *debemus* praeter necessitatem, quoniam post *manendum est* ipse verborum contextus eiusmodi notionem suggerit.

VIII 10, 7. His proprie ad singula membra pertinentibus, rursus illa communia sunt: primis diebus fames; deinde tum, cum iam increscere callum oportet, liberalius alimentum; longa a vino abstinentia; fomentum aquae calidae, dum inflammatio est, liberale; ubi ea desit, modicum; tum etiam longior ulterioribus ex liquido cerato membris et mollis tamen unctio. Neque protinus exercendum id membrum, sed ⟨*sensim*⟩ ad antiquos usus reducendum est.

Sensim, quod inserui, et quadrat in hunc locum et potius praetermissum est quam *paulatim.*

---

1) De hoc loco (Eine frühchristliche Schrift von den dreierlei Früchten des christlichen Lebens herausg. von R. Reitzenstein S. 76 Z. 45) egit Schmalz Berl. phil. Woch. 20 Juni 1914 col. 798 sq. De eadem fere re idem egit Berl. phil. Woch. 23 Jan. 1915 col. 126. Utroque loco citat Cels. III 7, 1 ergo ut in alio genere morborum, parcius in his (sc. pueris) agendum est, non facile sanguinem *mittere* e. q. s., ubi tamen *mittere* secundum lectionem a Marxio receptam pendet e *convenit.*

Hic liceat conferre Arnob. I 48 (Reiff. 32, 22) et medici enim sic curant, animal humi natum nec confisum scientiae veritate sed in arte suspicabili positum et coniecturarum aestimationibus nutans cum Cels. II 6, 16 Illa tamen moderatius subiciam, coniecturalem artem esse medicinam, rationemque coniecturae talem esse, ut, cum saepius aliquando responderit, interdum tamen fallat (conf. etiam Prohoem. § 38 et 57).

Neque praetereundae sunt hae dictiones Arnob. III 9 (Reiff. 117, 11) nec *frigoribus* fiunt *senectutis* effeti et Cels. II 1, 5 neque *senectutis frigore* infestatur.

Ceterum consentaneum est Arnobium rhetorem multarum litterarum Celsi Medicinam legisse atque relegisse. Quocirca qui loci Arnobiani ad varia morborum genera spectant, ii haud dubie desumpti sunt ex Artium libris VI—XIII.

CAPUT VII.

Ad Pomponium Melam.

De iustis faciendis apud Thraces Pomponius Mela haec exposuit: Chorogr. II 2, 19 ne feminis quidem segnis animus est. super mortuorum virorum corpora interfici simulque sepeliri votum eximium habent, et quia plures simul singulis nuptae sunt, cuius id sit decus apud iudicaturos magno certamine adfectant. moribus datur estque maxime laetum, cum in hoc contenditur vincere. § 20 maerent aliae vocibus, et cum acerbissimis planctibus efferunt. at quibus consolari eas animus est, arma opesque ad rogos deferunt, paratique, ut dictitant, cum fato [1] iacentis, si detur in manus, vel pacisci vel decernere, ubi nec pugnae nec pecuniae locus sit,..... manentque dominas proci.

Nisi omnia me fallunt, difficultates solvuntur scribendo: paratique, ut dictitant, cum fato iacentis, si detur in manus, vel pacisci vel decernere, ubi nec pugnae nec pecuniae locus sit, manent ⟨*uti*⟩*que* dominas proci.

1) *Fato* accipiendum est sensu *umbra*. P. J. Enk citat Mnemos. XLIV Avien. Arat. 211 portitor ille Charon Thesidae *fata* vehebat et Buech. Carm. Epigr. 965 vs. 3 quod si forte tibi fuerit *fatorum* cura meorum.

CAPUT VIII.

Ad Martialem.

In illustrando Martialis genere dicendi Friedländer fortasse de industria multas sententias et locutiones a poeta Hispano haustas e Vergilii versibus [1]) praeteriit. Oportuit tamen interpretem ceteroquin tam bene meritum de Martialis carminibus rationem intercedentem inter Senecam et Martialem saepius ostendisse e. g.

Mart. II 40, 1 *uri* Tongilius male dicitur.... *esurit* atque *sitit.*	Sen. dial. V (de ira III) 9, 5 vetus dictum est a lasso rixam quaeri; aeque autem et ab *esuriente* et a *sitiente* et ab omni homine quem aliqua res *urit.* cf. Epist. 4, 10; 113, 21; 119, 7.
II 59, 1 *mica* vocor: quid sim, cernis, cenatio parva.	Ep. 51, 12 habitaturum tu putas umquam fuisse in *mica* Catonem e. q. s.
III 67, 6 exarsitque dies, et *hora* lassos *interiungit* equos *meridiana.* (cf. II 6, 15 et cum currere debeas Bovillas, *interiungere* quaeris ad Camenas?)	Dial. IX 17, 7 quidam *medio die interiunxerunt* et in postmeridianas horas aliquid levioris operae distulerunt.
VI 29, 7 inmodicis brevis est aetas et rara senectus.	Agamemn. 102 modicis rebus | longius aevum est.

1) Frustra quaeritur cur cum XI 87, 3 o quantum cogit egestas — Friedländer non contulerit Aen. III 56 quid non mortalia pectora cogis | auri sacra fames; cur non comparaverit V 48, 1 quid non cogit amor — cum Aen. IV 412 improbe Amor, quid non mortalia pectora cogis; cur non composuerit IX 51, 5 tu colis Elysios nemorisque habitator amoeni | esse... cupis — cum Aen. VI 638 devenere locos laetos et amoena virecta | fortunatorum nemorum sedesque beatas.

VI 30, 6 vis dicam tibi *veriora veris* (cf. VIII 76, 7 *vero verius* ergo quid sit audi).	Nat. Quaest. II 34, 2 *vero verius* nihil est.
VI 42, 22 non attendis, et aure me *supina* iamdudum quasi *neglegenter* audis.	Epist. 49, 1 est quidem, mi Lucili, *supinus et neglegens*, qui in amici memoriam ab aliqua regione admonitus reducitur e.q.s.
VIII 36, 3 *pars quota* Parrhasiae labor *est* Mareoticus aulae?	Herc. Oet. 51 *pars quota est* Perseus mei?
X 96, 13 *i* cole *nunc* reges. Epigr. 23, 6 *i nunc* et lentas corripe, turba, moras (cf. I 42, 6).	Dial. XII 6, 8 *i nunc* et humanum animum ex isdem, quibus divina constant, seminibus compositum moleste ferre transitum ac migrationem puta. ibid. 10, 10 *i nunc* et puta pecuniae modum ad rem pertinere.
XIII 14 *cludere* quae *cenas* lactuca solebat avorum, dic mihi, cur nostras inchoat illa dapes?	Epist. 114, 9 deinde ad cenas lautitia transfertur, et illic commendatio ex novitate et soliti ordinis commutatione captatur, ut ea, quae *includere* solent *cenam*, prima ponantur.

Observandum insuper est particulam interrogativam *numquid* [1]) Senecae et Martiali in deliciis esse. Item usus vocum quales sunt *ceroma* (Martial. IV 19, 5; Sen. ep. 57, 1; dial. X 12, 2); *bisontes* (Mart. IX 57, 10; Sen. Phaedr. 64); *proxeneta* (Mart. X 3, 4; Sen. ep. 119, 1); *fritillus* (Mart. XI 6, 2 en IV 14, 8; Apocolocynt. 12 vs. 31) cet. declarat similitudinem non parvam inter duos illos auctores Hispanos genere esse.

Memorabilis denique σιγματισμὸς invenitur Mart. VI 30, 1

sex sestertia si statim dedisses

et Sen. Oedip. 707

servate sontem saxeo inclusum specu.

1) Cf. Brakman Arnob. (1917) pag. 55, ubi septem exempla Annaeana commemoravi. Cf. etiam Index a Friedlaendero confecto.

CAPUT IX.

Ad Boeth. phil. cons. I 4, 129.

Instillabas enim auribus cogitationibusque cotidie meis pythagoricum illud ἕπου θεόν.

His verbis Boethius Philosophiam alloquitur. — Engelbrecht [1]) putat genuinam scripturam fuisse θεοῖς contra Stob. Flor. III 80, ubi extat θεῷ.

Equidem legentes admoneo Apulei verborum, quae Boethio nota fuisse statuamus necesse est (de Plat. II 23) sapientem quippe pedisequum et imitatorem dei dicimus et sequi arbitramur *deum*, id est enim ἕπου θεῷ.

Praeterea permulta exempla singularem numerum commendant; cf. Cic. de fin. III 73 Quaeque sunt vetera praecepta sapientium, qui iubent tempori parere et *sequi deum* et se noscere et nihil nimis e. q. s. Sen. Ep. 16, 5 haec (sc. philosophia) docebit, ut *deum sequaris*, feras casum; 96, 2 non pareo deo, sed adsentior. ex animo *illum*, non quia neccesse est, *sequor*; 107, 9 optimum est pati, quod emendare non possis, et *deum*, quo auctore cuncta proveniunt, sine murmuratione *comitari*; Dial. VII 15, 5 habebit (sc. virtus) illud in animo vetus praeceptum: *deum sequere*; Firmic. Matern. Mathes. I 7, 11 ecce ad summum cuncta perdidicit (sc. Pythagoras) et, ne quid deesset eius divino ingenio, peregrinis etiam magisteriis imbutus ad omnia sapientiae secreta penetravit et, ut verius loquar, divini animi intentione primus, immo potius solus in ista positus fragilitate terrena naturam et originem providi numinis ac divinae maiestatis invenit. salutare illud, ut quidam volunt, et *providum numen* per dies singulos sequebatur.

---

1) Die Consol. phil. des Boeth. (Sitzungsber. d. A. d. W. in Wien Bd. 144) 1902 pag. 8 sq.

Occasione oblata notabiliorem imitationem hic indicare volo. Philosophia de sua mente pinnata, quae interdum ascendit ad „astriferas domos", canit (cons. phil. IV 1, vs. 15).

atque ubi iam *exhausti fuerit satis*,
polum relinquat extimum
dorsaque velocis premat aetheris
compos verendi luminis.

Illa locutio *exhausti.... satis* desumpta est ex Verg. Georg. II 397

est etiam ille labor curandis vitibus alter,
cui numquam *exhausti satis est.*

Insuper legimus apud Boethium Cons. phil. IV 6, 5 ad rem me, inquit, omnium quaesitu maximam vocas, cui vix *exhausti* quicquam *satis sit.*

INDEX.

Cap. I. ANNAEANA.

Loci qui pertinent ad artem criticam.

Loci Similes.

Cap. II. APULEIANA.

Loci qui pertinent ad artem criticam.

Loci Similes.

Cap. III. AD FIRMICUM MATERNUM.

Loci qui pertinent ad artem criticam.

Cap. IV. AD PLAUTI AMPHITRUONEM.

Cap. V. AD CIC. DE DOMO SUA.

Loci qui pertinent ad artem criticam.

Loci Similes.

Cap. VI. AD CELSI MEDICINAM.

Loci qui pertinent ad artem criticam.

Loci Similes.

Cap. VII. AD POMPONIUM MELAM.

Cap. VIII. AD MARTIALEM.

Loci Similes.

Cap. IX. AD BOETH. PHILOS. CONS.

Loci Similes.